

Bilson, omnium effectuum fons & origo, ex mente Scaligeri res divina.

§. 7. Sed nondum tenebrarum satis est, nondum satis cœcutitum. Ignoratis formis plurima alia ignoramus, quorum nostri multum interest. Opaca nubes & solem, & jubar ejus intercipit; sic dum formæ se nostræ indagini subducunt, subducuntur & ea quæ à formâ emanant; Qualitates scilicet aut proprietates formales: propter formarum essentias à priori incognitas proprietatum profapia tota jejuna est. Et hoc, propter connexionem causæ efficientis cum suo effectu. Hinc fit, ut si quicquam in naturâ insoliti accidere videamus, miremur. Naturalem subesse rationem non ignoramus, inquirimus: sed fugiunt optima; forma latet, latent qualitates. Et ut in ludis mimicis modò aliqua appareret, modò absconduntur: sic effectus patent, causæ latent. Mens demum ab indagine defatigata cesset necesse habet, sensusque reponit, sæpè contenta nomine Occultarum Qualitatum, ad quas diu jactata tandem confugit tanquam ad Anchoram.

§. 8. Mihi verò de Qualitatibus illis acturo nihil gratius accidere posset, quam si res ipsa ejusdem cum nomine claritatis esset. Illi enim significationi, quam hoc in loco Philosophi attendunt, communis Autorum usus precium fecit, ut testimonia rei perspicuitas non admittat. Dicuntur vero occultæ ad differentiam, manifestarum. Hæ sensibus percipi possunt; illæ verò non possunt. Voce eadem de re simili utitur Virgilius: Georg. lib. 1.

Sæpè etiam steriles incendere profuit agros,
Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis.
Sive inde occultas vires, & pabula terræ
Pingvia concipiunt &c.

Quibus & sequentibus versibus elegantissimè Virgilius caloris vires eloquitur, quas Zanardus de Elementis Quæst. 6. viginti plus minus barbaris vocibus vix circumscribere potuit.

§. 9. Hic diversa nomina εν παρόδω videre juvabit. Dicitur autem Occulta Qualitas ab aliis Proprietas formalis. Ab aliis Vis à totâ substantiâ. Multis Vis specifica audit. Dioscoridi non ineleganter ἀνατιολόγηται lib. 6. cap. 34. &c.

§. 10. Verum enim verò, cum non una rerum occultarum ratio esse soleat; Quo jure modoque qualitates illas hoc nomine insigniamus, declarare prius oportebit. Ignorantia verò, propter quam occultæ vocantur, vel à nobis cognoscentibus, vel à cognos-

scendis